



vatione maior erit GK , quam AB . Quoniam igitur trium rectarum AB , GL , LK , duæ reliqua sunt maiores omnifaria sumptæ. Duæ. n. GL , LK , maiores sunt quam AB , quod tota GK , maior sit, quam AB , ut modo fuit ostensum; Manifestum autem est, AB , GL , maiores esse reliqua LK , Itemq; AB , LK , reliqua GL , esse maiores, propterea quod GK , diuisa est bifariam in puncto L . Idem quoq; dices de tribus rectis GD , KM , MH . Itaq; ex tribus rectis AB , GL , LK , constituatur (per 22. propos. primi) triangulum ANB , quod erit Isoceles, cadetq; punctum N , extra triangulum AEB , cum AE , EB , simul dimidium constituent rectæ GH ; at vero AN , NB , simul maius efficiant, quam dimidium rectæ GH . Rursus ex tribus rectis CD , KM , MH , constituatur quoq; triangulum COD , quod Isoceles erit, cadetq; punctum O , intra triangulum CFD , eo quod CF , FD , simul adæquentur dimidio rectæ GH ; at CO , OD , simul minores sint dimidio rectæ GH . Et quoniam 4. latera AE , EB , CF , FD , simul, Item AN , NB , CO , OD , simul equalia sunt rectæ GH , erunt priora 4 simul, posterioribus 4. simul equalia; additis ergo communibus AB , CD , fient 6 latera AE , EB , BA , CF , FD , DC . simul equalia 6 lateribus AN , NB , BA , CO , OD , DC , simul, ideoq; triangula ANB , COD , simul isoperimetra erunt triangulis AEB , CFD , simul. Dico iam, quod & similia inter se sunt